



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

864. An soleat huic regulæ de triennali derogari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

n. 24. Chok. n. 84. dicens sic juxta omnes servare in praxi Cancellariam Romanam.

8. Octavo non veniunt beneficia manualia. Chok. n. 49. citans Germon. de indulg. Card. S. regularia. n. 37. Mohed. decis. 169. de causa possess. & prop. uti nec preceptoris ad unum amovibiles. Chok. n. 30. citans Mohed. ubi ante, decis. 10.

Quaestio 862. Quinam ad effectum hujus censentur intrusi?

Respondeo primo: licet intrusi nomen pluribus aliis competat (qualis in genere dicitur omnis ille, qui accipit vel retinet beneficium, sciens nullum sibi ius competere in illo, ut Castrop. de benef. d. 2. p. 33. n. 11. dicens hanc definitionem conficit ex c. ad aures. de excessib. prelat. c. quia diversitatem. de concess. preb. c. jam dudum. de preb. c. cum. qui de preb. in 6. & sic colligi ex dictis à Selv. p. 1. q. 11. n. 9. & 10. Rebuff. in pr. p. 11. in reg. de subrog. collig. gl. 4. Gomez. hic. q. 47. apud Azor. p. 2. l. 7. c. 35. q. 10. Covar. l. 3. variat. c. 16. nu. 7.) in ordine ad alios actus. Non videntur tamen hoc nomine in hac regula & in ordine ad effectus illius comprehensum directe alii, quam qui vel obtinent beneficium aliquod simoniace, vel ad beneficium dicta reservatione clausa in corpore juris reservatum promoti: intellige, ab alio, quam à Papa. Chok. n. 82. dum in his duobus tantum casibus, ut dictum, ex Lott. l. 2. q. 33. n. 15. & 16. decoloreretur omnis titulus, adeoque & possessio. Et hos solos intrusos excludi directe à beneficio hujus regulæ, videtur satis indicari per verba illa regulæ: non molestandos illos super beneficiis, qui ea, qualiacunque sint, ex Apostolica vel ordinaria collatione seu provisione sine simonia obtenta pacifice triennio possederint, & modo in ea beneficia, dum reservata sunt dicta reservatione (hoc est, dum ea vacant per obitum in curia) intrusi non sint; hoc est, illa ab inferioribus collatoribus non obtinuerint.

2. Nihilominus tamen vi Constitut. Julii III. date anno 1553. relata à Quaranta. v. beneficiorum collatio, & à Piaficio in proem. pr. Episcopalis. num. 4. quæ incipit: Sanctissimus in Christo Pater & Dominus: expressè in ordine ad non fruendum beneficio regulæ de annali & triennali dicuntur intrusi, qui possident beneficia Ecclesiastica vel Dignitates, earumque administrationem suscipiant ante expeditionem literarum & confirmationem obtentam. Chok. n. 82. (ubi etiam, quod id cesset in diocesi Leodiensi, referens se ad regulam 3. Cancellaria) sic enim expressè dicitur *ibidem*, quod ipsorum beneficiorum non possessores, sed meri & nudi detentores ac violenti sine aliquo titulo in eis intrusi censentur, & pro talibus habeantur, & reputentur, nec fructus suos faciant, & regulæ cancellaria de annali & triennali possessore in iis locum non habeant &c. De cetero tunc intrusi quoque alii, hoc est, carentes legitimo titulo excluduntur à beneficio hujus regulæ, dum eorum intrusio, seu non titulus, vel titulus vitiosus notorius est, vel etiam manifestè probatur. Vide dicta supra; ubi qualiter & qualis requiratur titulus ad fruendum beneficio hujus regulæ. Plura de intrusione, & qui in specie dicantur intrusi, Vide apud Castrop. loc. cit. Lott. l. 2. q. 20. num. 81.

Quaestio 863. Quinam simoniaci excludantur à beneficio hujus regulæ?

1. **R**espondeo primò: ii, qui scientes commissam esse simoniam in adeptione beneficii, illud ingrediuntur; & e contra ii, quibus ignorantibus (puta quia v. g. pater, frater, amicus, aliquid dedit pro impetrando beneficio filio, fratri, amico) à favore hujus regulæ non excluduntur; eò quod, cum hæc exclusio sit pœna, extendi non debeat ad simoniam, in qua beneficiati culpabiles non sunt. Less. l. 2. de just. c. 35. n. 140. citans Gomez. Chok. ad hanc regulam. n. 60. Castrop. l. c. n. 11. citans pro hoc Rebuff. de pacif. possess. n. 242. alias 193. Ugol. tab. 4. c. 6. §. 4. n. 2. & Garc. p. 8. c. 1. n. 15. ubi plures alios referat. Tamen autem talis ignorans simoniam commissam in impetratione beneficii defendatur exceptione hujus regulæ, non est tamen tutus in conscientia, nisi petat absolutionem à Papa cum nova provisione. Chok. cit. n. 60. quæ absolutio & nova provisio qualiter, seu sub quibus clausulis ei detur, aut ei danda committatur Ordinario, vide apud eundem Chok. *ibid.*

2. Respondeo secundò: juvantur adhuc hac regulâ, qui post factam sibi collationem seu provisionem beneficii aliquid dant vel promittunt, esse per hoc committant simoniam; quia ab initio non habuerunt ingressum simoniacum. Chok. n. 61. citans Gomez. q. 12. qui testetur ita censuisse Rotam.

3. Respondeo tertio: de cetero, quod scienter simoniace ingressi beneficium non juvantur hac regulâ, sed etiam post triennii possessionem iis possit lis intentari, & beneficium adimi, extenditur ad eos, qui simoniam solum conventionalem (hoc est, quando tantum pactum est pretium, seu res temporalis pro beneficio, non tamen ex utraque parte pactum est adimpletum, puta, v. g. quia datum est beneficium, nondum tamen datum est pretium; dum enim ex utraque parte completa jam est pactio, est simonia realis. Chok. n. 60. ex Navar. in manual. c. 23. n. 100. & cons. 3. de simon.) admiserunt. Less. loc. cit. Chok. loc. cit. qui posterior tamen vult, id procedere ex suppositione, quod hæc simonia conventionalis eandem pœnam incurrat quam simonia realis; nempe privationem beneficii de facto, & excommunicationem lata sententia, uti id docent Tol. in sum. l. 5. c. 94. Redoand. de simon. p. 4. c. 9. n. 7. & p. 2. c. 17. Rebuff. in pr. cit. de simonia in resignatione. n. 9. Gomez. hic. q. 12. & alii apud Chok. cit. n. 60. Porro qualiter probanda simonia commissa in ordine ad excidendum beneficium hujus regulæ, vide eundem Chok. n. 61.

Quaestio 864. An soleat huic regulæ de triennali derogari?

Respondeo: nusquam solere illi derogari, utpote quæ exigens titulum, nullum in se fovet odium. Lott. l. 2. q. 53. n. 32. citans Achill. decis. 385. n. 3. & 4. Hoc tamen intelligi directe, restituendo adversus ejus lapsum, ait Lott. in 33. ubi etiam, quod clausula derogatoria consueta inseri inter generales, referatur ad triennem detentionem de facto, de qua regula hæc non loquitur; citat pro hoc Rebuff. in pr. in 3. forma signature super clausulis derogatoriis ante n. 1.

FINIS PARTIS SECUNDÆ.

IN